

CONSULTATIO

HISTORICO-LEGALIS;


Marcus Ant.us M.o Lampi à Siciniano.
Neap. Septimo Kal. Aprilis
A.D. MDCCXXI.



CONSULTATIO
HISTORICO-LEGALIS,

Quâ oſtenditur, Beneventanos ad Regni Neapolis Beneficia Eccleſiaſtica neutiquam admittendos: tùm quia non ſunt Regnicolæ, nec pro Regnicolis reputantur: tùm etiam quia non ſunt ſubditi Sereniſsimi noſtri Regis CAROLI TERTII Auſtriaci, Hiſpaniarum Monarchæ.

Ad exornationem Literarum ejuſdem Catholicæ Majeſtatis, quibus pro communi bono, horumque ſubditorum utilitate diſponitur, hujuſmodi Beneficia, non exterorum, ſed Regnicolarum commodis addicenda.





ANNO MDCCX.



ILLUSTRISS ET EXCELLENTISS
DOMINIS,

Fidelissimæ Civitatis, Regnique Neapolis Deputatis,

Pro Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione solis Regnicolis faciendâ,

Dominis Colendissimis, & Collegis dilectissimis.



I Publium Rutilium Rufum dicere assuetum testatur Posidonius, Illustrissimi, & Excellen-

tissimi Domini, nullum pictorem adinventum, qui Veneris Iconem ab Apelle incboatam explere præsumpsisset, eximiam ob oris pulchritudinem, quæ reliqui corporis imitandi spem auferebat: (a) *quantò magis à præsenti Consultatione in lucem edendâ nobis abstinendum quisquam putabit, cùm non incepta, sed omnibus numeris à tot Jureconsultis nostris concivibus absoluta, Res Beneficiaria reperiatur, summo ingenii acumine, præstantiâ argumentorum, majestate, ac facilitate styli, eloquentiæ jucunditate, ac denique tanto, & tàm blan-*

(a) *Cicero de Offic. lib. 3. post princ.*

blando elocutionis ornamento, ut hanc provinciam aggressi, quasi digito ausi simus cœlum attingere, temeritatis notam, immò & pœnam justissimè mereri videamur. Et huic tàm salubri, prudentique consilio plùs quàm libenter annuendum foret, si præcipua præfatæ Consultationis disputatio eandem materiam agitaret. At verò cùm nostra communis causa, de alienigenis ad Regni *Beneficia* Ecclesiastica *non admittendis, inconcussis Jurium fundamentis innixa, tantorumque Virorum dissertationibus abundè enucleata, ex Invictissimi nostri* Regis *providentiâ jàm sit in tuto: & quæ-*

ſtio, de quâ loquimur, an ſcilicet Beneventani ſint Regnicolæ dijudicandi; & uti tales noſtrorum Beneficiorum capaces, licèt quoad effectum ad Rem Beneficiariam pertineat, non de hac tamen principaliter, ſed de prætensâ potiùs Beneventanorum in Regno Civilitate exiſtimanda ſit: nullâ nos dignos cenſurâ judicari poſſe arbitramur, ſi de quo nullus adhuc habitus fuit ſermo, quia non controverſum, differere non dubitavimus.

Eo magis quod non ultrò in arenam deſcendimus, ſed Excellentiarum Veſtrarum juſſu, quarum, tanquàm Publicorum Patrum, manda-

ta

ta transgredi, sine injustitiæ, atque ingratitudinis crimine, neutiquam est permissum. Tùm quia sibi soli natus est nemo, sed Patriæ; (b) *cui deficere injustum, ac pariter indignum est. Tùm etiam quia, si verum credimus, (ut omnes agnoscunt) Patriæ in cives Jura potiora esse, quàm Parentum in liberos, quemadmodum istis, ita illi, ejusque curam gerentibus, nullam aliam pro natalibus. educatione, instructione, cæterisque in nos benè factis, retributionem reddere unquàm poterimus, quàm venerationem,*

(b) *Leg. 1. ubi gloss. ver. Respublica ff. de ventre in poss. s. mitten.*

nem, & obedientiam. (c)

Quod ſi demandato munere non ſatis aptè ſimus perfuncti, non voluntati, ſed Naturæ tribuendum eſt: quæ ſicuti terræ fructus, alios perfectos, alios immaturos producit; ita ſimili agendi methodo, quædam hominum ingenia callida, prudentia, & ſagacia, quædam verò aſpera, inſipida, ac ſtolida, innatâ varietate, gignit. Qualiacumque tamen ſint, civili proſunt ſocietati: (d) *quia ſi æquali omnes homines pollerent Minervâ, & omnes eſſent perſpicaces, ac ſummâ doctrinâ præ-*

(c) *Jo: Jovian. Pontan. de Obedient. lib. 2. cap. laudes obedientiæ, & lib. 5. cap. de Magiſtratib. & privatis civibus.*
(d) *Eman. Theſaur. Philoſoph. Moral. lib. 16. cap. 11.*

præditi, atque consilio, n[illegible]us esset Superior, neque Magister, cùm non adessent quos regere, vel docere necessum foret. Rursùs si omnes essent obtusi, inertes, & ignavi, nullus esset Subditus, vel Alumnus; quia à quo regeretur, vel doceretur deficeret; nullusque proinde alio indigeret: quod sub cœlo non reperitur.

Nostra ergo insipientia alios operosos facit, ut corrigant, nos autem ut corrigamur, Vosque ex animo obsecremus, ut bonâ nostrâ voluntate contenti, plùs quàm nobis à Naturâ donatum est, exigere non curetis: immò paterno ministerio suffulti, quod in nobis est mancum,

eâdem

eâdem & turâ duce, amore suppleatis. Valete, & pro Patriæ fælicitate, ejusque Jurium tuitione laborate.

Excellentiarum Vestrarum

Humillimus, ac Deditissimus Servus, & Collega amantissimus,
C. F.





Ntiquissimę apud nostros Serenissimos retro Reges, de Beneficiis Ecclesiasticis alienigenis non conferendis, Neapolitanorum supplicationes fuere. Justissimę item: utpotè Juri Divino, Naturali, & Humano, priscis Ecclesiæ institutis, Conciliorum, Canonumque decretis, ac totius ferè Orbis Catholici moribus consentaneæ. Sed nescimus, quo fato, licèt Ferdinandus Secundus, & Fridericus ab Aragoniâ nostrorum Majorum precibus annuissent, inutiles evasere. (a) Deus Optimus Maximus, cujus imperscrutabilia judicia temeritas est indagare, opus tàm justum, tàm æquum, tàm commendabile, bono Ecclesiarum regimini, ac universæ totius Regni conservationi simpliciter necessarium, nostro Invictissimo Regi CAROLO TERTIO Austriaco providè reservavit.

(a) Volum. Capitulor. & Gratiar. Civitatis Neapolis.
Cap. 4. Regis Ferdinandi Secundi anni 1495. pag. 21.
Cap. 6. Regis Friderici anni 1496. pag. 23.

Hic igitur Hispaniarum Monarcha, suorum, ut par erat, hujus Regni subditorum incumbens utilitatibus, tàmque præjudiciali abusui, de Beneficiis Ecclesiasticis exteris concedendis, post adeptam hujus Regni possessionem illicò occurrens, suo peculiari Diplomate, dat. Barcinonæ

die secundâ Martii anni millesimi septingentesimi octavi, seriò decrevit, alienigenas ad Beneficia, & reditus Ecclesiasticos neutiquam admittendos, solisque Regnicolis conferri debere.

Eodem ferè Diplomate juvari vellent Beneventani, se Regnicolas asserentes. Sed nullo jure: cùm de istâ qualitate non liqueat. Nemo enim recipi debet ut talis, nisi priùs probet se esse talem, *leg. non ignorat Cod. qui accusare non possunt*: per quem textum docet Bartolus, quod si vigore statuti civis, & non alius, esset ad aliquid admittendus, ante omnia probare debet, se esse civem.

Ut autem Beneventani Regnicolæ dici possent, oporteret eos docere, Urbem, agrumque Beneventanum esse Regno addictum, tanquàm unum ex ejus membris unicum corpus constantibus. Nomen quippè Regni est collectivum, denotans quid integrale, pluribus ex partibus constans, ut Territorium, Civitas, Provincia. Et proindè quemadmodùm Territorium continet plures agros sub jurisdictione loci, cui adhæret, *leg. pupillus §. territorium ff. de verbor. significat.*, & Civitas non solùm comprehendit congregationem hominum intra mœnia, *leg. 2. ubi glossa verb. muris ff. eod.*; sed etiam Vicos, Villas, Oppida, & Castra sibi respondentia, *leg. qui ex vico ff. ad municipalem, cum concordantibus adductis per glossam ibidem ver. habere*: Et Provincia amplectitur plures Civitates, & Insulas adjacentes sub uno Præside, *leg. Insulæ ff. de judiciis, Bart. in Extravag. ad reprimendum ver. Provincia, & in leg. un. ubi Bald. Cod. de Metropoli Beryto lib. XI., Afflict. in Constit. occupatis nobis num. 4. 5. & 6. tit. de numero*

Offi-

Officialium: Ita etiam Regnum complectitur plures Provincias sub uno Rege, *ut ex cap. in apibus 7. quaest. 1. docent Bartolus, & Baldus in locis proximè citatis*.

Hinc est, quod sicuti, ut quis dicatur civis, ac civilitate frui possit, oportet originem, vel domicilium in Civitate, aut Vicis, Villis, Oppidis, Castrisve illi annexis sortiri, *dictâ leg. qui ex vico ff. ad municipalem*, & *dictâ leg. pupillus* §. *incola ff. de verb. sign.*, *leg. cives Cod. de incolis lib. X.*, *Glossa in leg. est verum ver. incolas Cod. eod.*, *leg. forma* 4. §. *si verò quis agrum ff. de censibus*, *Regens Valenzuela cons.* 79. *n.* 42. & *seqq. lib.* 1., *Regens Capycius Galeota controv. illustr. tom.* 2. *controv.* 20. *n.* 2. 3. & 4., *Cons. Pratus discept. forens. tom.* 1. *cap.* 16. *n.* 10. & *seqq.* Et ut quis dicatur Provincialis, originem, vel domicilium habere debet in Civitatibus, vel locis Provinciæ subjectis, aut in Insulis adjacentibus, *leg. notionem* §. 1., & *leg. Provinciales*, *ubi glossa ver. non eos ff. de verbor. signif.*, *dictâ leg. insulæ ff. de judiciis*, & *leg. omnes Cod. de operibus publicis*: Ita, ut quis Regnicola dici possit, originem, vel domicilium habere necesse est in Provinciis, vel Civitatibus, aut locis Regno respondentibus, eique annexis, & in unum corpus unitis: quia sicuti se habent Territorium, Vici, Castra, Oppida, & Villæ respectu Civitatis, cujus sunt partes, & ex quibus constituitur corpus Civitatis; & Civitates, & Insulæ adjacentes se habent ad Provinciam; ita se habere debent Provinciæ, Civitates, aliaque Regni loca respectu Regni, cujus integrale corpus constituunt, ut benè ratiocinatur *Mexia in pragm. de taxâ panis concl.* 1. *num.* 75., quem allegat, & summatim transcribit *Cons. Gizzarell.*

zarell. decis. 71. *num.* 4., eoque relato *Conf. Pratus loc. cit. num.* 20. *& seqq.*, cùm à pari procedant, & eandem inter se habeant proportionem Civilitas alicujus Civitatis privatæ, & Civilitas Provinciæ, vel Regni, ex traditis per *Conf. Carleval. tract. de judiciis lib.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 2. *num.* 116. *in fin.* Et per consequens, ut Beneventani Regnicolæ dici possent, nostrisque Beneficiis frui, oporteret Beneventum Regno respondere, eique esse addictam, incorporatam, & unitam.

Hæc autem unio, postquàm Jure gentium distincta fuere dominia, discreta Imperia, & introductæ Regnorum divisiones, *leg. ex hoc jure, ff. de justitiâ, & jure*, prout in casu nostro, quod Regnum, & Civitas Beneventana obediunt diversis Principibus, & separatis distinguuntur territoriis: Hæc unio, inquam, est quid facti, cùm aliud non sit, quàm ex duobus, vel pluribus unum facere, consolidare, sive ad unam substantiam reducere, *leg. in rem actio* §. *quæcumque*, *ubi Baldus ff. de rei vindicatione*, & proindè non præsumitur, nisi probetur, per textum in *leg. si vacantia Cod. de bonis vacantibus lib. X.*, neque quanticumque temporis diuturnitate inducitur, secundùm *Hostiens. in cap. nonnulli extr. de vitâ, & honestate clericorum, & in Summâ de suppl. neglig. Prælator. col.* 1., quem citat, & sequitur *Regens Rovit. in pragm.* 1. *de tit. abusu num.* 78. *&* 79. Unde ad excludendos Beneventanos nobis sufficeret negativa, cujus contrarium cùm sit fundamentum intentionis eorum, succedit regula *Tex. in leg. qui accusare Cod. de edendo, & in leg. actor Cod. de probat.* Actore non probante, reus absolvitur.

Sed

Sed tantum abest, ipsos, ne quidèm per somnium, docere posse, Civitatem, agrumque Beneventanum esse Regno addictum, unamque ex partibus Regni corpus componentibus, ut minimè, nos pigebit, facili negotio demonstrare, Regno annexum nunquàm fuisse, quinimmò à Regno semper divisum, & separatum.

Quod certo certius esse, longè, latèque probat Historia. Relictis proindè antiquioribus Regni hujus partitionibus, ac Regibus, & Principibus particularibus, qui Tarentinis, Samnitibus, Lucanis, Locrensibus, Brutiis, Apulisque imperarunt, de quibus loquitur *Marinus Freccia de Subfeudis lib. 1. tit. de antiquo statu Regni*, quorumque in hac causâ inutilis esset sermo, incipiemus à Longobardis.

Hi sexto à Christi Nativitate decurrente sæculo, à Narsete Eunucho Imperiali Duce, in vindictam Italicæ præfecturæ sibi à Justino Imperatore Sophiæ Augustæ suasionibus ademptæ, in Italiam evocati, eâ obtentâ, in quamplures Ducatus, inter quos aderat Beneventanus, divisere; illamque, creato postmodùm Rege, qui omnibus præesset, in Regnum erexere. (*b*) Et secundùm istam partitionem Italici Longobardorum Regni, non verò Neapolitani, cujus tàm celebris politici ædificii, ne quidèm primus lapillus tunc temporis jactus legitur, Beneventani Regnicolæ dici poterant.

(b) *Paul. Diaconus de gestis Longobar. Carolus Sigonius de Regno Italiæ. Summonte Hist. Neap. tom. 1. lib. 1. pag. 383.*

Sed Longobardorum audaciâ, dominandique ambitione crescentibus, adeò se infestos Romanæ Ecclesiæ reddidere, ut Stephanus Secundus Pontifex Maximus Pipini Francorum Regis auxilium efflagitarit. Pipinus ad occupata restituendum,

dum, debitaque eidem Ecclesiæ, ejusque Supremo Antistiti obsequia tribuendum, Aistulphum Longobardorum Regem circa annum septingentesimum quinquagesimum quintum coëgit. (*c*) Ac denique Desiderio Aistulphi filio, & successore pejora perpetrante, eoque à Carolo cognomento Magno, post expugnatam Ticinum capto, & Lugduni relegato, Regnum Italiæ, per ducentos circiter annos à Longobardis possessum, (propriis Ducibus solummodò Beneventanis, & Foriuliensibus relictis) eversum fuit. (*d*)

Etenim cùm Leo Tertius Pontifex Maximus, experimento edoctus, Græcos Imperatores ad Italiam in pace servandam, eamque à barbaris defendendam non sufficere, Carolum Magnum de consensu Romani populi in exitu anni octingentesimi Augustum pronunciasset, unxisset, atque Imperialibus infulis adornasset: Irenes Imperatrix, novi Cæsaris inauguratione auditâ, ad ipsum Oratores destinavit: quorum ministerio Imperii divisio pacta fuit; atque eâ parte, quæ à Civitate Neapolis in sinu Tyrrheni, & à Siponto, nunc Manfredoniâ, in Adriatico, Orientem versùs protenditur, Ireni relictâ, reliquum ad Occidentem respiciens Carolo cessit, Ducatu Beneventano inter utriusque Imperii fines termino remanente. (*e*)

Sic Beneventum, licet variis temporum vicissitudinibus serviens, & nunc ab uno, nunc ab altero Cæsare, aliisque Principibus labefactata, bellis, obsidionibus, atque eversionibus pluriès obnoxia fuerit, propriis tamen Ducibus paruit usque ad annum quadragesimum septimum supra millesimum: quo circiter ævo, cùm per renuncia-

(c) *Joann. Villanus Florentinus hist. lib. 2. cap. 9.* *Summonte loco cit. pag. 407. & 408.*

(d) *Marin. Freccia de subfeud. lib. 1. tit. de antiquo statu Regni.* *Summonte loco cit. pag. 409.*

(e) *Joann. Villanus loco cit. cap. 13.* *Platina de Vitis Pontificum.* *Summonte loco cit. pag. 415.*

ciationem Waimarii Capuæ, & Beneventi Principe, Henrico Secundo Occidentis Imperatori cessisset, ab eodem, sive, ut alii asserunt, ab Henrico Tertio ejus filio, Leoni Nono Pontifici titulo Vicariatus adscribitur, vice census, quem Bambergensis Episcopus Romanæ quotannis pendebat Ecclesiæ. (*f*) Neque usque ad hæc tempora de Regno in Historiis verbum ullum.

Ita Summi cæperunt Antistites Beneventum possidere, ejusque dominio sic tenaciter incumbere, ut quamvis sequentibus successivis temporibus à Nortmannis, & Suevis, nec non ab Andegavensibus, & Aragoniis, eâdem fuissent pluries Civitate spoliati, illius restitutioni sedulò studuere.

Quamobrem Nortmanni, qui Græcis ab Apuliâ, atque Calabriâ expulsis, prima hujus Regni fundamenta jecerunt, eorum imperium dilatare cupientes, licèt sub Unfrido Apuliæ Comite Beneventum expugnassent anno quinquagesimotertio supra millesimum; Robertus tamen Guiscardus Nicolao Secundo, septimo ab hinc anno, reddidit, ab eo receptâ Apuliæ, Calabriæ, atque Siciliæ cum titulo Ducatus Investiturâ: sed quo jure, non est nostrum ad trutinam revocare, neque decidere, cùm alius calamus hanc de Investituræ juribus examinandis provinciam assumpserit, & expleverit eruditè. (*g*) Cùmque Rogerius, (qui Anacleti Pseudo-Pontificis partibus favebat, primusque ab ipso Rex Siciliæ inauguratus fuit) Beneventum occupasset, Innocentius Secundus anno millesimo centesimo trigesimo septimo, ope Germani militis sub Henrico Lotharii Secundi Cæsaris Duce, Romanæ Ecclesiæ redintegravit. (*h*) Denique Guilielmus, cogno-

(f) *Scipio Ammiratus de Ducibus Beneventanis.*
Blondus.
Jo: Bapt. Platina de Vitis Pontificum.
Nauclerus.
Sigibertus.
Genebrardus.
Leo Hostiensis.
Carolus Sigonius.
Quos citat Summonte loco citato pag. 459. & 460. & rursùs tom. 3. lib. 5. pag. 225.

(g) *Chronic. Cassinens. lib. 2. cap. 88. & lib. 3. cap. 15.*
Platina in Vitis Leonis IX. & Nicolai II.
Summonte tom. 1. lib. 1. pag. 460. 462. & 463.

(h) *Summonte tom. 2. lib. 2. pag. 10.*

gnomento Malus, in vindictam sibi ab Hadriano Quarto denegatæ Investituræ, anno millesimo centesimo quadragesimo nono Benevento potitus est: sed paulò post à Baronibus Guilielmi rebellibus Hadrianus evocatus, Beneventum recuperavit, sibique Guilielmo conciliato, in pace possedit. (*i*)

(i) *Summonte loco cit. pag.* 43. & 44.

Sub Suevis, Fridericus Secundus Romanorum Imperator, atque Siciliæ Rex, Beneventum obsidione cinxit, & de mense Aprelis anni millesimi biscentesimi quadragesimi primi ad deditionem reduxit: civiumque receptis armis, mœnibus, turribusque nudavit. Ob quod, aliaque in Ecclesiam Romanam facinora, Fridericus, & anathemate percussus, & in Concilio Lugdunensi ab Innocentio Quarto Imperio, Regnisque privatus fuit. Morbo tamen in Apuliâ oppressus, in Castro Florentini diem clausit extremum anno Domini millesimo biscentesimo quinquagesimo, condito testamento, in quo Terrarum, & jurium Ecclesiæ occupatorum restitutionem decrevit. (*k*) Sed Conradi, & Manfredi ejus filiorum contumaciâ contra testamentarium paterni voti tenorem continuante, atque in dies excrescente, Clemens Quartus Pontifex Maximus Regnum Siciliæ cum totâ terrâ, quæ est citrà Pharum, usque ad confinia Romanæ Ecclesiæ, ob condemnationem dictorum Principum eidem Ecclesiæ devolutum, exceptâ Civitate Beneventanâ, ejusque territorio, & districtu, Carolo Provinciæ, & Andegaviæ Comiti, Ludovici Galliæ Regis germano fratri, in feudum concessit, anno Domini millesimo biscentesimo sexagesimo sexto. (*l*)

(k) *Riccard. à S. Germano in Chron. Raynald. annal. tom.* 13. *an.* 1240. *n.* 17. 1241. *n.* 46. & 1250. *n.* 33. & *seq. Summonte tom.* 2. *lib.* 2. *pag.* 99. & 101.

(l) *Summonte loco cit. pag.* 177. *Raynald. tom.* 14. *an.* 1265. *n.* 13.

Carolus instructo exercitu Italiam petiit, Romæ-

mæque coronatus iter prosequens, Manfredo in agro Beneventano debellato, & confosso, Beneventum diripi, incendi, & deprædari passus est. Conqueritur Summus Pontifex, Urbem ditioni Ecclesiasticæ addictam armis Andegavensibus profligari, monuitque Carolum, ut ab ausis hujusmodi in posterùm abstineret. (*m*)

Sub Caroli successoribus varia Beneventanorum fata leguntur. Siquidèm cùm propter orta dissidia inter Urbanum Sextum, & Carolum Tertium, qui ex Dyrachiorum lineâ ad Regni sceptrum pervenit, obsessus Nuceriæ Urbanus fuisset, paceque cum Carolo postmodùm factâ, Regnum relinquere destinasset: cùmque Ramundellus de Ursinis Litii Comes, suis copiis associatum, salvum ad litus Pontificem perduxisset, unde Januam appulit: Urbanus, grati animi gratiâ, Ramundello Beneventum largitus est anno millesimo tercentesimo octogesimoquinto. (*n*) Huic Andegavensium partes sequenti, Ladislaus ejusdem Caroli filius anno millesimo quadringentesimo primo Beneventum ademit. (*o*) Eodemque jure Franciscum Sfortiam ab eâdem Civitate, (quam Mutio Attendolo, cognomento Sfortiæ, magno Regni Comestabulo ejus patri anno millesimo quadringentesimo decimosexto Joanna Secũda donaverat,) ab Alphonso Aragonio Joannæ filio adoptivo, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo primo expulsum fuisse traditur. (*p*)

Andegavensibus deindè è Regno ejectis; pax inter Summum Pontificem Eugenium Quartum, & Alphonsum anno millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio stipulata fuit: cujus tenore idem Alphonsus, uti Joannæ filius adopti-

(m) *Summonte loco cit. pag.* 191. *Raynald. tom.* 14. *an.* 1266. *n.* 15.

(n) *Summonte tom.* 2. *lib.* 4. *pag.* 490.

(o) *Idem Summonte ibid. pag.* 531.

(p) *Idem Summonte ibidem pag.* 574. & 647.

vus, Regni Investituram, exceptâ Civitate Beneventanâ, ejusque territorio, & districtu, (ut moris erat) obtinuit. Civitates verò Beneventi, & Terracinæ in Vicariatum sub duorum accipitrum annuo censu, ejus vitâ durante, Eugenius Alphonso concessit, receptâ ab eo Terrarum Civitatis-Ducalis, Accumuli, & Goviffæ mutuâ cessione, pro illis per Sedem Apostolicam retinendis, donec Beneventi, & Terracinæ restitutio sequeretur. *(q)*

(q) *Summonte tom. 3. lib. 5. pag. 21. Raynald. tom. 18. an. 1443. n. 3. Volumen intitul. Invest. Regn. Neap. in Bibliotheca Sancti Angeli ad Nidum pag. 23.*

Mortuo denique Alphonso, ejus filius Ferdinandus, hujus nominis Primus, Regni Investituram à Romano Pontifice efflagitavit; & præcedentibus Capitulationibus de Benevento Ecclesiæ reddendâ, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo à Pio Secundo assecutus est; Terracinæ restitutione ad aliud decennium dilatâ. *(r)* Sic Urbem Beneventanam Ecclesiæ redintegratam, illis ab hinc annis Romani Pontifices pacificè tenuere.

(r) *Summonte tom. 3. lib. 5. pag. 149. Raynald. tom. 19. an. 1458. n. 21.*

Quæ ergo unio Beneventi ad Regnum ex hac Chronologicâ narratione argui potest? Nulla prorsùs, sed aperta discretio. Si enim statum hujus partis Italiæ, quæ hodie Regnum dicitur, ante Nortmannorum adventum consideremus; & nulla Regni denominatio, nullum vestigium unionis, omnia distincta, omnia divisa reperientur, partìm sub Græcis Imperatoribus, partìm sub Ducibus Longobardis, partìm sub propriis Principibus, partìm denique sub Romanæ Ecclesiæ dominatione, cui Beneventum contractu permutationis accessit. Si verò Nortmannorum tempora inspiciamus, unde Regni initia derivari non ambigitur; & eorum imperium in Apuliâ, atque Calabriâ

labriâ incepisse non dubitatur: quibus tametsi alias postmodùm ditiones adjunxissent, prout Beneventanam quoque pluriès annectere nixi sunt, omnes eorum conatus incassùm evasere: & non solùm ipsi, sed etiam Suevi, Andegavenses, & Aragonii, qui eandem provinciam aggressi sunt, Romanæ Ecclesiæ nunc armis, nunc pactionibus restituere coactos legimus. Et per consequens antiquâ disjunctione conservatâ, remansit Principatus de per se, à Regno divisus, & separatus.

Quoniam si de hisce Beneventi acquisitionibus, & temporariis detentionibus velimus judicare, ut de actis Jure belli; & cùm postea etiam vi armorum, aut pacis conventionibus recuperatio sit subsecuta, censetur ac si nunquàm Beneventum Pontifices amisissent, Jure postliminii, cujus virtus est, causam reducere ad non causam, perindè ac si nunquàm in rerum naturâ fuisset *toto tit. ff. & Cod. de captivis, & postliminio reversis*. Quod Jus postliminii habere locum, etiam in immobilibus, docet *glossa in leg. 2. ver. navibus ff. eod. per textum in leg. si captivus* §. 1. *ff. eod. tit.*, ubi expulsis hostibus ab agris, quos cæperant, dominia eorundem agrorum ad priores dominos Jure postliminii redire, statutum fuit. Immò non solùm Jus postliminii, sed etiam spem postliminii in hoc nostro citerioris Siciliæ Regno locum habuisse, docet, *Bart., quem citat, & sequitur Bald. in leg. id quod ff. de leg.* 1. Unde sicuti ante istas expugnationes, & detentiones, Civitas Beneventana cum ejus territorio, & districtu, erat Principatus de per se, à Regno divisus, ità recuperatione, & restitutione sequutis, ad eandem naturam reversa est, & Jure postliminii censetur, ac si nunquàm fuisset ejus status mutatus.

B 2 Idem-

Idemque dicendum erit, etiam si de prædictis Beneventi oppugnationibus, tanquàm de invasionibus, & spoliis velimus ratiocinari. Nàm quemadmodum contra vi armatâ possessorem ejicientes, datur Interdictum Unde vi, quod est remedium restitutorium, *toto tit. ff. de vi, & vi armatâ, tit. ff. quod vi, aut clàm, & tit. Cod. unde vi*, sìc restitutione sequutâ, expulsus possessionem, omniaque alia jura, quibus spoliatus fuerat, recuperat: cùm restituere aliud non sit, quàm in pristinum statum reducere, *ex tex. in leg. 2. vers. fin. cum concordantibus ff. ne quid in loco publico*. Et proindè Beneventum, quæ erat ante spolium, & invasionem Principatus de per se à Regno divisus, per restitutionem in eundem statum rediit.

Neque ex concessione Civitatis Beneventanæ Alphonso Primo ab Aragoniâ per Eugenium Quartum factâ, induci potest incorporatio Beneventi ad Regnum. Tùm quia in eâ nullæ leguntur clausulæ importantes unionem, videlicet, *Ut non dicantur duo, vel plures Principatus, sed unus ex utroque, vel pluribus permixtus, unum faciens Regni corpus, nullatenùs dividendum*: Vel *unum corpus utrumque facimus, habens unius Regni nomen*, quibus unionum formulis utitur Justinianus in *Auth. ut judices sine quoquo suffragio cap. 2. 3. & 5.* Vel denique si adessent illa verba, *unimus, annectimus, & incorporamus*, de quibus *Joannes Baptista Ferrett. cons. 242. n. 5.*, quęque sunt termini quotidiani in materia unionis, *ut ex Andr. Gambar. in tract. de Offic. & potest. Legat. à latere lib. 5. cap. 1. num.* 11. docet *Regens Rovitus sup. Pragm. 1. de titul. abusu num. 93.*, ubi

ubi multa ad propositum. Tùm etiam quia Regni, & Civitatis Beneventanæ concessio Alphonso facta, non fuit una, sed duæ concessiones separatæ, & distinctæ, Regni scilicet, titulo Feudi, Beneventi verò titulo Vicariatus: illa ad certos successores transitura, hæc ad solam Alphonsi vitam: illa sub uno, hæc sub alio censu, diversoque Diplomate; quo casu, licèt ambæ conjunctæ fuerint in personâ ejusdem Regis, attamen cùm non per modum accessionis, sed quælibet æquè principalitèr facta reperiatur, remanserunt, prout erant, Principatus separati, & divisi, quamvis in unâ, eâdemque personâ concurrerent; & persona Regis, licèt una, subiit vices duorum Principum, ex celebri doctrinâ *Bart. in leg. si convenerit* 18. §. *si nuda ff. de pignorat. action.*, quem refert, & sequitur *Regens Rovit. loc. citat. num.*89., *Cons. Carleval. de judiciis lib.*1.*disp.*2.*quæst.*7.*sect.*2.*nu.*829., ubi alios allegat, *Franciscus Salern. lib.*1.*cons.*31. *num.*21.

Tantò magis quia ipsimet Beneventani in hac divisione, & à Regni separatione, etiam sub Alphonso permanere voluisse, convincitur. Ex quo à die, quo Alphonsus Beneventum cæpit, usque, & per totum tempus, quo ipse, ejusque filius Ferdinandus eandem Civitatem possederunt, Beneventani sub eorum propriis judicibus, exclusâ prorsùs generali judicum Regni jurisdictione, conservari nixi sunt, vigore Capitulationis inter ipsos, & eundem Alphonsum stipulatæ, tempore deditionis Civitatis prædictæ, & confirmationum inde sequutarum, mediantibus eorundem Regum privilegiis, quorum tenores transcribit *Chioccarellus de Jurisdictione tom.* 16.*de Civitate*

tate Beneventanâ. Quod idem est, ác dicere, Beneventum etiam sub nostris Regibus jurisdictionem discretam, & à Regni universali jurisdictione separatam habuisse. Unde resultat alia juris conclusio, desumpta ex theoricâ *Bald.in leg. scapham 44. ff. de evictionib.*, quod sicuti Castrum habens regimen, & magistratum proprium à Civitate separatum, non dicitur membrum Civitatis, nec de ejus Comitatu; neque Comitatensium appellatio competit eis, qui Comitatus jurisdictioni non subsunt: ita Beneventum, quæ etiam sub nostris Regibus habuit jurisdictionem, & magistratum separatum à Regno, nunquàm fuit, quemadmodum non est pars Regni, nec Beneventani Regnicolæ dici possunt, ex traditis per *Bald. cons. 357. num. 2. lib. 2.*, & *Cravett. cons. 672. num. 10. lib. 1.*, quos allegat *Rovitus loco cit. n 98. & seqq.*

Sed esto, quod (citra veri præjudicium) facta fuisset, prout confecta nunquàm fuit unio Beneventi ad Regnum, dismembrationem deindè subsequutam, vigore pactionis inter Pium Secundum, & Ferdinandum Primum initæ, fatendum est. Quod à Pontifice, & Rege fieri potuisse, nemo negabit. Quis enim ignorat, quod cùm rerum divisiones à jure gentium originem sumant, *leg. ex hoc jure ff. de justitiâ, & jure*; ab humanâ destinatione, arbitrio, voluntate, atque constitutione, non autem à Naturâ dependet, Fundum, Ædem, Territorium, Civitatem, Provinciam, vel Principatum dividere: ita ut factâ divisione, non unus Fundus, non una Domus, unum Territorium, una Civitas, una Provincia, vel Principatus, sed duo, vel duæ, aut plures distinctæ, & separatæ efficiantur, quibus ad nostrum libi-

tum

tum addere, vel detrahere possumus, ut docent Jurisconsulti in *leg. rectè, ubi gloss. verb. utrumque, & in leg. locus ff. de verb. sign., leg. quod in rerum §. si quis ff. de legatis 1., leg. si quis duas §. si quis partem ff. commun. prædior., leg. 7. ff. commun. divid., leg. si eadem 3. ff. de Offic. assess.*, maximè si cuilibet Territorio, Civitati, Provinciæ, vel Principatui diviso, sua separata, & distincta tribuatur jurisdictio, à cujus terrendi ministerio territorium nomen sumpsit, *ut ex tex. in leg. si pupillus §. territorium ff. de verb. sign.* optimè ratiocinatur *Camill. de Medicis cons. 21. nu. 16. & seqq.* Idque à Romano Pontifice, & Rege in casu nostro factum, Capitulationis instrumentum ab eorundem Oratoribus confectum, & ab utroque ratificatum, & approbatum, cujus tenorem affert *Raynald. annal. tom. 19. ann. 1458. num. 21.*, plenè testatur. Itemque probant Insignia Pontificia in marmore sculpta, quæ loco finium inter utrumque territorium inspiciuntur, & separationem Beneventanæ ditionis à Regno demonstrant, prout parietem medium divisionem domus indicare, dixit *Ulpianus in dictâ leg. si quis duas §. si quis partem in fin. ubi glossa ff. communia prædiorum.*

Quâ sequutâ dismembratione, (si forsan unio, quod negatur, unquàm fuit) Comitatuque Beneventano à nexu Regni, ejusque subjectione, jurisdictione, atque oneribus liberato, de eo, tanquàm de loco extra Regnum, loquendum est, ex traditis per *Joann. Andr. in cap. ut animarum, de constitut. in 6., & in cap. cum Episcopus, sup. gloss. ver. exempto, de Offic. Ordin. eod. lib. 6. per tex. in cap. luminoso 18. quæst. 2.* Et per consequens à Regni commodis, cujus non subit

bit onera, exclusionem meretur, ex regulâ *tex. in leg. secundùm naturam ff. de regulis juris*, nè alias cogamur dicere, Beneventanos in aliquibus Regnicolas, in aliis alienigenas reputari: quod est absurdum, cùm nemo, in duplici statu contrario esse possit, videlicet, in uno servus, in alio liber, in quibusdam legitimus in aliis non, quoad quædam sub patriâ potestate, & quoad alia Romanus civis. Quæ omnia accuratè perpendit, prout de more, *Paulus de Castro cons. 307. vol. 2.* ubi latè disputato articulo, in casu Castri à nexu Comitatus Civitatis soluto, multisque hinc, & inde juribus, rationibus, atque Doctorum auctoritatibus adductis, concludit, quod si privilegiorum, & commodorum usus in damnum civium onera subeuntium redundaret, quemadmodum si esset quæstio de Officiis lucrosis, à quibus, si darentur exemptis, cives repellerentur; & tunc exemptos excludi debere autumat: si verò nullum civibus inferret præjudicium, ut si vellent exempti uti statutis, & privilegiis Civitatis circa solemnitates contractuum, ultimarum voluntatum, & similium; quæ nullius civibus sunt jacturæ; & exemptos ad illorum fruitionem admittendos esse concedit, quia quod uni non nocet, & alteri prodest, negare nefas est, *leg. 2. §. item Varrus, ubi glossa ver. æquitatem ff. de aquâ pluviâ arcendâ.* Et secundùm hanc Pauli distinctionem, Beneventanos à nostris Beneficiis Ecclesiasticis excludere satis juri consonum est, quia quæ ipsorum emolumento cederent, Regnicolarum utilitatibus tollerentur.

Hæc ex abundanti, & ad solidiorem susceptæ à nobis provinciæ firmitatem dicta sint. Cæterùm

terùm ſicut & ante, ita & poſt Beneventi dimiſſionem à Ferdinando Primo Eccleſiæ Romanæ factam, Ditio Beneventana ſemper in eâdem à Regno ſeparatione perſeveravit, & tanquàm Principatus de per ſe extra Regnum poſitus, dijudicata fuit. Ad cujus quidèm concluſionis probationem, licèt innumera adduci poſſent teſtimonia, nos paucis contenti, reliqua brevitati donanda non abs re fore, cenſemus.

Et primò Literæ Patentes, quibus Nuntii Apoſtolici ad hoc Regnum deſtinati à Romanis Pontificibus communiuntur, hoc apertè convincunt. Inter varias enim facultates, quæ iiſdemmet Nuntiis, præfatis in literis, communicantur, una eſt illa Collectoris Generalis Jurium, obventionum, atque redituum ad Cameram Apoſtolicam quomodolibet pertinentium. Et ubi? (ſunt verba Brevis) *in toto Regno Neapolitano, ac in noſtris Civitate, Diœceſi, ac Comitatu Beneventano: cum poteſtate in quibuslibet Civitatibus, Diœceſibus, & aliis particularibus locis dicti Regni, ac Civitatis, Diœceſis, & Comitatus Beneventani unum, vel plures Subcollectores ſubſtituendi*, prout in Regiſtris Archiviorum Regiæ Juriſdictionis, ac Reverendæ Nuntiaturæ legi poteſt. Ecce quomodo ipſorummet Romanorum Antiſtitum eloquio edocemur, Regnum Neapolitanum, & Civitatem, agrumque Beneventanum eſſe duas ditiones inter ſe disjunctas. Quamvis enim ſi Beneventum eſſet de Regno, ſufficerent illa verba *in toto Regno Neapolitano*, ad unico ſub nomine ſine alio additamento eam comprehendendam, nàm in toto pars continetur, *Tiraquellus in leg. ſi unquam, ver. totum, Cod. de revocandis*

C do-

donationibus; *Regens Valenzuela conf.* 119. *n.* 40. *lib.* 2., quia tamen Beneventum nihil commune habet cum Regno, opus fuit ad illam amplectendam subjungere, *ac in nostris Civitate*, *& Comitatu Beneventano*, copulâ *&* inter utrumque interjectâ, cujus dictionis cùm proprium sit inter discreta, & separata collocari, secundùm Scribentium placita in *Rubr. ff. de justitiâ*, *& jure*, *& in Rubr. ff. de noxalibus actionibus*, *& in Rubr. Cod. de juris*, *& facti ignorantiâ*, *juncto tex. in leg. si duo Cod. per quas personas nobis acquiritur*, *& DD. quos congerit Conf. Pratus practic. observ. observ.* 91. *num.* 1., necessariò sequitur, Beneventum non venire nomine Regni, sed extra Regnum reputari.

Ad idem faciunt Literæ, in vim conventionis cum hujus nostri Regni tunc temporis Prorege, Romæ in formâ Brevis expeditæ per Beatum Pontificem Pium Quintum, sub die primâ Februarii 1566., insertæ in *Pragmaticâ tertiâ, de persequend. malefactor.*, *& delinquent. etiam extra Regnum*, quibus interdicitur omnibus Apostolicæ Sedis Ministris, & præsertim Gubernatori Civitatis Beneventi, ne Hæreticos, Rebelles, Sacrilegos, Falsarios, Monetarios, Pacis violatores, Latrones, Assassinos, aut Homicidas, à Regno Neapolitano exules, & bannitos, recipiant, & assecurent; quinimmò talia in eodem Regno patrantes, & ad Apostolicæ Sedis loca, & præsertim ad Civitatem Beneventi, ejusque Comitatum aufugientes, capi, detineri, & ad Officiales Regios remitti mandatur: quemadmodum è converso Regiis Ministris, respectu delinquentium Status Ecclesiastici in Regno se recipientium, in citatâ Prag-

mati-

matica jussum fuit. Idemque inter Sixtum Quintum, & Ossunensium Ducem, ipsiusmet Regni Moderatorem, tractatum, sancitum, ac mutuò similiter executum, testantur Literæ Apostolicæ sub die vigesimâ octavâ Julii 1585., *& Pragmatica septima sub tit. de exulibus.*

Ista autem reciproca à Beneventanâ Civitate ad Regnum, & è contra, delinquentium remissio, in Jure Fœderis fundata est, ut in puncto ait *Consf. Carleval. de judiciis lib. 1. tit. 1. disp. 2. quæst. 7. sect. 2. num.* 832. & præsupponit Ditionum pluralitatem. Sicut enim privata pactio duorum, pluriumve in idem placitum, & consensus est, *leg. 1. ff. de pactis*: ita Fœdus publicum est diversorum populorum, vel Principatuum, ad uniuscujusque majestatis mutuam conservationem conventio, *teste Proculo in leg. non dubito*, ibi: *ut is populus alterius populi majestatem comiter conservaret*, *ff. de captiv. & postlim. reverf.*, *leg. conventionum 5. ubi gloss. ver. paciscuntur ff. de pactis.* Quapropter cùm sit factum inter Summos Pontifices pro Statu Ecclesiastico, ac pro Civitate, & Territorio Beneventano ad eundem spectante, ac Proreges nostros pro Regno, necessariò præsupponit hæc duo inter se distincta, Statum, scilicet, Ecclesiasticum cum Civitate Beneventanâ, ejusque Territorio ex unâ parte, & Regnum Neapolitanum ab alterâ, unumque esse ab alio prorsùs divisum, & separatum, prout illa verba Brevium, *talia in eodem Regno patrantes, & ad Apostolicæ Sedis loca, & præsertim ad Civitatem Beneventi, & ejus Comitatum pervenire contingerit*, demonstrant ad sensum.

Quod magis patet ex tenore ejusdem Fœderis, in quo non de omnium, sed de aliquorum so-

summodò criminum reis ad invicem remittendis, ut superiùs diximus, conventum fuit: eorumque reciproca insectatio, non generaliter, & indefinitè, sed in locis incolis vacuis, vel saltem muro carentibus, ad præscriptam à confinibus uniuscujusque Ditionis distantiam, permissa est. Aliarum verò noxarum criminosi, nec remissioni, neque persecutioni sunt obnoxii, sed in plenâ securitate in alterutrius territorio vicissim commorantur: cùm nunquàm Fœdus operetur plùs, vel minùs, quàm ejus leges dictant, juxta doctrinam *Baldi in leg. executorem num. 33. Cod. de execut. rei judicatæ*. Unde secluso Fœdere, in ullo unquàm casu remissioni, aut delinquentium insectationi à Regno ad Territorium Beneventanum, nec è converso, locus esset: quia sublato Fœdere, quod est mutuæ remissionis, & insectationis causa, tollitur causatum, hoc est, ipsa reorum reciproca remissio, & insectatio, *ex gloss. in leg. fin. ver. nuptiis Cod. de donation. ante nuptias.*

Hoc est proprium Regnorum, Principatuum, & Ditionum inter se disjunctarum, quarum unaquæque habet jurisdictionem, & territorium ab alterâ divisum, & separatum: in quibus, quidquid sit in puncto juris, ex usu tamen, & praxi in toto Orbe Christiano communiter receptâ, reorum de uno ad alium Principatum non fit remissio, nisi ex gratificatione, & urbanitate, quas reprehendit *Julius Clarus lib. 5. sentent. § fin. quæst. 38. num. 21. circa fin.*, vel nisi aliter consuetudine introductum, aut Fœdere conventum reperiatur, ut latè discusso articulo, adductoque non modico Doctorum cumulo, concludit *Cons. Carleval. loco cit. à n. 827. & seqq.* & ante eum *Ægidius Bellamera Cardinalis*

lis

lis Sabinensis, Sacri Palatii Apostolici Auditor conf. 11. *num.* 7. *&* *conf.* 40. *num.* 32. *&* 34., quem allegat, & sequitur *Cardinalis Tuscus pra-ctic. concl. jur. tom.* 1. *concl.* 560. ubi loquendo de Comitatu Avenionensi, (qui se habet in Regno Franciæ, ut Beneventum in hoc nostro Regno Neapolitano) affirmant, non dari remissionem delinquentium ab Avenione ad Regnum Franciæ, neque citationes de mandato judicum Regni Franciæ expeditas, in Comitatu Avenionensi executionem mereri, quia Avenio est extra territorium, immò extra Regnum Franciæ. Et hoc in Regno habemus decisionem Sacri Consilii, cujus meminit *Regens Rovitus in rubr. Pragm. de exulibus num.* 7., in quâ referente Regio Consiliario Olcignano, relegatus fuit in Insulam per decennium D. Joannes Gamboa, qui interfecit in Civitate Beneventanâ quendam Sigismundum bannitum à Regno. Cujus quidèm condemnationis causa non fuit mors Sigismundi, qui tanquàm bannitus poterat impunè occidi, vigore *Constit. Regn. Pœnam eorum, sub tit. de forbannitis, & forjudicatis*, & per consequens nullâ poterat pœnâ D. Joannes conflictari: sed fuit locus mortis, extra Regnum, & territorium bannientis positus, quemadmodum est Civitas Beneventana, ut testatur idem *Rovitus loco citato*. Et eandem ob rationem quotidie videmus, in exilium extra Regnum missos exilii parere sententiæ, commorando Beneventi: quod eis non liceret, si Beneventum esset de Regno.

Ad quòd non parùm confert praxis in nostris Tribunalibus rationabiliter recepta in liquidatione instrumentorum Beneventi confectorum. Licèt enim

enim *per Constitution. Regni Consuetudinem*, *sub tit. de instrum. conficiend.*, ad hoc ut instrumentum viâ Ritus Magnæ Curiæ Vicariæ liquidari possit, non solùm requiritur, quod sit per publicum Regiâ auctoritate Notarium stipulatum, verùm etiam quod sit in membranâ, seu pergamenâ conscriptum, vel, ut vulgò dicimus, extensum, aut reassumptum; *Et per Constitut. Instrumentorum robur*, *sub tit. de fide*, *&* *auctorit. instrumentor.* Judicis, Notarii, atque testium subscriptionibus roborari necesse sit: Hæc tamen omnia procedere Nostrates arbitrantur in instrumentis hoc in Regno confectis, quia in illis extra Regnum stipulatis, consuetudines, & leges loci, in quo celebrata sunt, & non statuta hujus Regni, in quo præsentantur, & contra debitores viâ Ritus liquidari, & executioni demandari petitur, attendendas esse concludunt: probatâ solummodò potestate, & qualitate Notarii, per testimonium, seu legalitatem, ut dicitur, Magistratus loci, in quo instrumentum confectum fuit. Et secundùm istam theoricam, instrumentum per Notarium Apostolicum Beneventi celebratum, & in publicam formam redactum, atque in Regno præsentatum absque testium subscriptionibus, cum legalitate tamen Vicarii ejusdem Civitatis, qui de personâ Notarii, ejusque probatâ famâ, & opinione fidem fecerat, liquidatum in Regno fuisse, ex decisione Sacri Consilii in causâ Francisci Jappone, testatur *Aloysius de Leo Jureconsultus Beneventanus in leg. 1. Cod. de novo Cod. faciendo*, eoque citato *Joan. Baptista Thorus in compend. decis. Regn. tom. 1. ver. instrumenta confecta extra Regnum*, *&* *Elisaus Danza de pugnâ Doctorum tit. de Instrum.*

cap.

cap. 1. *&* 2. Et hujus decisionis non alia à præfatis Authoribus ratio assignatur, nisi quod Beneventum est extra Regnum, aliàs enim instrumentum per Notarium Apostolicum stipulatum, & absque solemnitatibus in præcitatis Regni Constitutionibus contentis reassumptum, si Beneventum esset de Regno, liquidari in Regno non potuisset.

Nec valet dicere, quod Beneventum sit infra fines Regni,& per consequens ad Regnum pertineat, ipsiusque sub nomine comprehendatur, ex doctrinâ *Baldi in leg. insulæ ff. de judiciis*, ubi notat, quod quidquid est infra fines Comitatus, esse præsumitur de Comitatu. Hoc enim posset procedere, si versaremur in dubiis: sed cùm simus in claris, liquidòque ex dictis constet, non esse Beneventum de Regno, neque ad Regnum spectare, cur nobis non licebit cum *Cassiodoro lib.9. variar. cap.* 23. exquirere hominem, qui de hoc cogitet deliberandum, ubi nihil reperitur ambiguum? Præsumptio nàmque cedit veritati, *leg. fin. in princ. ff. de eo, quod metus causâ, leg. nuptura in fin. ff. de jure dotium, leg. si chirographum, & leg. cùm de indebito ff. de probationibus*, *cum aliis concordantibus.*

Præterquam quod, non per hoc, quod Beneventum est infra fines Regni, sequitur, quod sit de Regno. Quamobrem Imperium, Regnum, Civitas, Respublica, corpora sunt civilia, ex hominum congregationibus, in quâdam vitæ, rerumque communitate, seu societate viventium, composita: sub unâ supremâ potestate, seu capite, dignitate, honore, præeminentiâ, consilio, atque administratione prædito: sub quo populi, licèt pluribus in Urbibus, Vicis, Oppidis, Villis, seu

Pa-

Pagis distincti, sub unius tamen nominis societate generali uniuntur, unumque corpus faciunt, ad benè, commodiùsque vivendum, communemque utilitatem promovendam, *Franciscus Schardius in lexico Juridico ver. Regnum*, *Petrus Gregorius Tholosanus de Republicâ lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 6., *&* *cap.* 3. *num.* 18. *ubi num.* 2. multorum auctoritate firmat, prout ex *Hugone*, & aliis docuit *Napodanus in proëmio consuet. Neap.* §. *audivimus*, *ver. Civitate num.* 171. *&* 182. non è lapidibus Civitatem constitui, sed ab hominibus; ad quorum commoditatem agri, in quibus seri, plantari, & ædificari possit, fructusque ad vitæ substentationem percipi, destinati sunt, *Idem Schardius loco cit.*, *&* *Hotomanus in commentar. de Verbis Juris, ver. ager*, *&* *ver. territorium*, ipsorumque agrorum universitas territorium dicitur, vel à terrendi facultate Magistratibus competente, juxta *tex. in leg. pupillus* §. *territorium ff. de verbor. sign.*, vel à terrâ, sic dictâ, quod à colonis teritur, ut explicat idem *Hotomanus dict. ver. territorium.*

Non ergo sufficit tale terræ spatium simpliciter ad constituendum Regnum, sed populos in Urbibus, Vicis, Oppidis, Castris, Villis, seu Pagis, in tali terræ spatio sitis, commorantes, in unâ, eâdemque generali societate vivere necesse est. Cujus quidem societatis præcipuum est vinculum, ab unâ supremâ potestate regi; ne si duas æquè supremas inter se divisas in unâ Republicâ admittamus, vel hoc corpus civile scindi, & ex uno duo fieri cogamur asserere, vel monstrum in Republicâ agnoscere, sicut in humano corpore duo capita. Ad hujus verò corporis unitatem conservandam intendere debent membra, opere, facul-

cul-

cultatibus, & consilio: puta, ærarium publicum vectigalibus locupletando, Comitiis interveniendo, milites hospitando, & uno verbo, onera universalia subeundo, ut in tranquillitate muneribus, honoribus, cœterisque communibus utilitatibus frui possint, quemadmodum latè probat *Tholosanus dicto cap.* 1. *per totum.*

Undè Civitas Beneventana, quæ nostro Regi non paret, nostras leges non servat, nostra vectigalia non solvit, functiones fiscales non contribuit, belli incommoda non subit, generalibus Regni Comitiis non intervenit, ac denique nihil nobiscum commune habet, nec aliarum Regni Civitatum societatem amplectitur, licèt in eodem terræ spatio, quo Regnum, reperiatur, non est de Regno: idemque universale terræ spatium, quod Regnum nuncupatur, & in quo Beneventana ditio sita est, se habebit respectu ejusdem Civitatis, tanquàm Saccus, & Farina, quæ licèt sit in sacco, non venit nomine sacci, juxta dictum *Baldi in cap.* 1. *num.* 11. *de Capitan. qui Curiam vendidit*, quemadmodum de Casali Serignani, sito in territorio Terræ Sancti-Severini, dicit *Camillus de Medicis cons.* 149. *per tot. & propriè num.* 9., de Casali Paniscocoli, sito in territorio Civitatis Neapolis, affirmat *Regens Merlinus controv. forens. cap.* 100. *num.* 17., & de Comitatu Avenionensi, qui licèt sit intra limites Regni Franciæ, non esse de territorio, sed extra Regnum Franciæ, scripserunt *Cardinalis Bellamera cit. cons.* 11. *num.* 7. *& cons.* 40. *num.* 32. *&* 34., *& Cardinalis Tuscus concl. jur. tom.* 1. *concl.* 560. Et proindè licèt Beneventum sit infra idem universale terræ spatium, quo Regnum, non est de Regno, nec venit nomi-

D ne

ne Regni, neque Beneventani per consequens ad nostra Beneficia Ecclesiastica admitti debent.

Et si replicent Beneventani, ipsos, si non ut Regnicolas; saltèm ut Beneventanos, ad nostra Beneficia aspirare posse, attentâ lege Investituræ, Siciliæ retro Regibus à Romanis Pontificibus elargitæ, cujus tenore Beneventanos in omnibus, & per omnia Regnicolis parificãdos decernitur: Advertendum est, non fuisse in omnibus, & per omnia simpliciter Regnicolis parificatos, sed in omnibus, & per omnia, quę Libertatis fuerint, *ut ex literâ Bullæ* §. *Privilegia, clarè liquet*. Cùm enim Fridericus Secundus Romanorum Imperator, atque Siciliæ Rex, multa gravamina Regnicolis intulisset, legibus Investituræ inter Clementem Quartum, & Carolum Andegavensem hujus nominis Primum, statutum fuit, Comites, Barones, Milites, & universos totius Regni homines, ad eandem Libertatem restitui, atque ad omnium immunitatum, & privilegiorum fruitionem, quibus tempore claræ memoriæ Guilielmi Secundi gaudebant, redintegrari. Cùmque idem Imperator nonnulla contra Libertatem Civitatis Beneventanæ statuta condidisset, illa revocari, atque in omnibus, & per omnia, quæ Libertatis fuerint, Beneventanos, & Regnicolas parificari sancitum fuit.

Quo casu illa clausula *in omnibus, & per omnia*, licèt sit generalis, nihil excludens: *in eo enim, quod omnia subjecit, nihil dimisit non subjectum*, dixit *Paulus ad Hebræos cap.* 2. *versic.* 8. *cap. si Romanorum* §. *dicendo dist.* 19. *leg. à procuratore, ubi glossa Cod. mandati*, cum infinitis alijs adductis per *Reg. Valenzuel. consf.* 122. *num.* 41., *& cons.* 135. *nu.* 101. *lib.* 2., attamen quando apponitur cum adjun-

ctio determinante genus, recipit determinationem ab adjuncto, & comprehendit ea, quæ includi possunt sub determinatione adjuncti, ex doctrinâ singulari *Abb. Panorm.* omninò videndi *in cap. dilecto num. 2. vers. concludo extr. de officio Archid.*, allatâ *per Camillum de Medicis cons. 147. num.* 12. cui consonat dictum *Baldi in leg. certi, & indubitati in fin. Cod. de hæredit. vel action. vend.*, quod scilicet, verba generalia intelligenda sunt generaliter, nisi distinguantur per speciem appositam generi, vel habentem limitare genus. Et ideò cùm in facto, de quo agitur, clausula *in omnibus*, *& per omnia* reperiatur cum adjuncto, *quæ Libertatis fuerint*, includere nequit alia, præter ea, quæ veniunt, aut venire possunt sub nomine Libertatis.

Rursùs clausulæ generales restringuntur ad rem, & causam, de quibus ratiocinatur. Sic sententia generalis, super generali petitione prolata, restringitur tantùm ad prosecuta, *leg. licet Cod. de judicijs*. Transactio generalis restringitur ad ea, de quibus est loquutum, *leg. qui cùm tutoribus in fin. ff. de transactionibus*. Pactum generale in transactione rei certæ appositum, de nihil ampliùs petendo, restringitur ad rem, de quâ erat controversia, *leg. si de re certâ Cod. eod. tit.* Renunciatio generalis restringitur ad contractum, super quo interponitur, *leg. jubemus 21. Cod. ad Senatus consultum Velleianum*. Liberatio generalis cum clausulâ, quod omnia alia instrumenta, pro quâcùmque summâ, & causâ facta, haberentur prò cancellatis, restringitur ad rationem accepti, & expensi, de quâ est actum, *leg. emptor prædij § Lucius Titius ff. de pactis*. Quapropter cùm in præfato Investituræ Capitulo, in quo de Beneventanis, & Regnicolis *in omnibus, &*

 per

per omnia æquiparandis est sermo, nil aliud contineatur, quàm revocatio statutorum Friderici contra Libertatem Civitatis Beneventanę, hæc in omnibus, & per omnia parificatio ejusdem Civitatis Libertates non egreditur.

Libertates autem in proposito, de quo loquimur, nil aliud sunt, quàm privilegia immunitatum, quibus Beneventani ab oneribus, & gravaminibus, per statuta Friderici ipsis illatis, liberantur: quemadmodum Libertatem Ecclesiasticam in privilegiis universalibus per Summos Pontifices, atque Romanos Imperatores Ecclesiis indultis, consistere, ex *Innoc. in cap. noverit extr. de sentent. excommun.* dixit *Bald. in leg. privilegia in princ. Cod. de Sacros. Eccles.*, & post eum *Cons. Gramm. cons.* 102. *num.* 9.

Quod patet evidenter ex Rubro, & Nigro *Cap. Regis Caroli Secundi, incip. Item statuimus, mandamus, & volumus, sub tit. de privilegijs civium, burgensium, & aliorum hominum à pharo citra*, in quo cùm Carolus voluisset præfatam conventionem inter Romanam Ecclesiam, & Carolum Primum ejus patrem stipulatam, *& in* §. *Comites* ejusdem Bullę Investituræ contentam, de Libertatibus, immunitatibus, & privilegijs, quibus sub Guilielmo Secundo Regnicolæ fruebantur, ipsismet Regnicolis restituendis, adimplere, in eodem Capitulo edito in Parlamento Generali, in planitie Sancti Martini solemniter celebrato sub die penultimâ Martii anni 1283., de consilio Prælatorum, Comitum, Baronum, Civium, multorumque proborum virorum, sancivit: *quod in collectis, taliis, sive quæstis generalibus, & specialibus, seu subventionibus quibuscumque, hominibus Regni à*

Pha-

Pharò citra, usque ad confinia terrarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui in fidelitate Regis remanserunt, servetur status, usus, & modus, qui tempore fælicis recordationis Regis Guilielmi Secundi extitit observatus.

Respectu verò Civitatis Beneventanæ, ejusque Libertatum, habemus explicationem *in citato* §. *Privilegia* ejusdem Bullæ Investituræ, esse, scilicet, Fidentiarum remissionem, *ut Cives Beneventani liberè possint, proprias vineas, & terras excolere, ipsarum fruges, & fructus colligere, ac easdem vineas, & terras vendere, & de eis pro suâ voluntate disponere, sine aliquâ exactione, munere, vel etiam datione.* Et apud *Chioccarellum de Jurisdictione loco citato*, extant Privilegia Alphonsi Primi, ejusque filii, & in Regno successoris Ferdinandi, quibus disponitur, quod *Universitas, homines, & cives Beneventani liberè, & absque cujusvis Fidentiæ præstatione plenâ libertate gaudeant, sine datii, collectarum, & aliorum civilium munerum, vel alicujus fiscalis functionis datione, vel solutione, pro possessionibus, & agris eorum, vel domesticis prædiis, ac ipsorum animalibus cujusvis generis, ubilibet in hoc Regno situatis, & infra dictum Regnum pro pedagiis, & passagiis, & eorum animalium pascuis, & lignis cedendis pro igne concessis, à quocumque nihil penitùs exigatur, nec exigi debeat quoquo modo: aliisque immunitatibus, franchitiis, & exemptionibus Universitas, & homines dictæ Civitatis Beneventi in genere, & in specie, ubilibet in hoc Regno prædicto, liberè, & sine contradictione aliquâ utantur, & fruantur.*

Ecce quomodo non solùm verba subsequen-

tia

tia Investituræ; verùm etiam Capitulum Regis Caroli Secundi, & Privilegia Alphonsi, & Ferdinandi declarant verbum *Libertatis* positum in præcedentibus, juxta dictum *Glossæ marginalis in lege utrum 26. ff. de petit. hæreditatis*, docentis, verbum obscurum positum in uno capite, declarari per verba posita in sequentibus capitulis, *leg. si servus plurium §. ult. ff. de leg. 1.* Et secundùm istam theoricam, quemadmodum una pars testamenti declarat aliam, *leg. qui filiabus ff. eod. tit. leg. 1. Cod. de impuberum, & aliis substitutionibus.* Pars inferior conventionis declarat superiorem, *Regens Galeota controv. illustr. lib. 2. contr. 64. num.* 19. Una lex declaratur per aliam legem, *Glossa in leg. quamvis 11. ver. jurisdictionem in addit. ff. de in jus vocando, Bald. in leg. 1. §. ait prætor, num. 1. ff. de postulando*: Et, ut cœtera similia relinquamus, instrumentum illiquidum per aliud instrumentum redditur liquidum, ex dispositione *Rit. Magnæ Curiæ Vicariæ incip. Item quod si debitores §. item intelligitur iste Ritus, ubi gloss. ver. plura instrumenta, sub tit. de Instrum. & eorum præsent., Bald. in leg. refert n. 1. Cod. de falsâ causâ adjectâ legato, Præs. de Franchis decis. 420. num. 4., & decis. 623. num. 5.* Ita verbum *Libertatis* in Investiturâ positum, ex prædictis declarationibus, immunitates importare certum est.

Istæ sunt igitur Libertates, vel, ut usitatiori utamur vocabulo, immunitates, exemptiones, & franchitiæ, in quibus Beneventani sunt Regnicolis parificandi. Sint ne, vel non, in earundem possessione, nec est præsentis indaginis, nec quidquàm refert ad causam. Quomodocumque enim sit, quid cõmune habent cum Beneficiis? quæ illatio

de

de unis ad alia? quæ connexio? Nulla penitùs; & neque virtualiter, & interpretativè per viam comprehensionis, neque per viam extensionis. Cùm enim vox *Libertas*, hoc est, immunitas onerum, non conveniat, nec ullam habeat analogiam, quinimmò toto cœlo sit aliena, atque diversa à significatione Ecclesiastici Beneficii, ex quo ibi tractatur de gravaminibus non solvendis, hic de fructibus bonorum Ecclesiasticorum percipiendis, parificatio Beneventanis indulta in fruitione Libertatum, sive immunitatum, quibus gaudent Regnicolæ, non potest comprehendere Beneficia: nisi velimus argumentum trahere à separatis, in quibus de uno ad aliud non fit illatio, *ut ex tex. in leg. fin. ff. de calumniatoribus*, *Bartol.*, *Paul. de Castro*, *& aliis juribus*, tradit *Regens Valenzuela conf. 33. num.* 266., *&* 267. *lib.* 1. Verba nàmque sunt magni ponderis, nullaque dispositio ultra egreditur, quàm verba patiuntur, *Sign. conf.* 61. Quod si aliter fieret, & multa sequerentur incommoda, & indignissimum esset, nos, quod verbo, & literis mutare non possumus, id re ipsâ, atque judicio commutare, ut ait *Tullius lib.* 2. *de invenctione*, quem allegat *Andr. Tiraquell. in leg. si unquàm*, *ver. libertis*, *Cod. de revocan. donat.*, ubi fusè, Juribus, Doctorumque auctoritatibus, quasi ad nauseam adductis, probat, tàm in legibus, statutis, rescriptis, & privilegiis, quàm in contractibus, stipulationibus, sententiis, & testamentis, à verborum significatione non esse recedendum, prout etiam docet *Regens Galeota controv. illustr. tom.* 2. *controv.* 10. *n.* 3.4. *&* 5., maximè in exorbitantibus à regulis juris, *teste Tiraquello ibid. num.* 19., qualis esset admissio alienigenarum ad

no-

nostra Beneficia, de Jure divino, naturali, & humano solis Regnicolis conferenda.

Quod ne quidèm prætendi potest per viam extensionis, in quâ cum casus similitudine debet concurrere majoritas, vel saltèm identitas rationis, ex dispositione *tex.in leg. Gallus* § *& quid si tantùm, ubi gloss.magna ver.omnes, & ver.casus, nec non gloss.marginalis, & Doctores ff.de liberis, & posthumis, Glossa in leg.illud, ver.alia causa, Cod. de Sacrosf.Eccles., & in leg.ob æs, ver. alienum tantùm, Cod. de prædiis minorum, Reg. Valenzuela cons.62. n.7.lib.1. latè Cons. Pratus discept. forens. tom.1.cap. 13.num.63. & seqq.* Et in puncto, quod quando casus sunt absimiles, vel in iis eadem, aut tanta ratio non concurrit, neque comprehensio, neque extensio locum habeat ex *Cravett. cons.70. n.27.* dixit *Regens Galeota controv.illustr.lib.2.controv.64.n.27.* Quę omnia cùm deficiant in casu nostro, quia nulla, neque quoad nomen, neque quoad effectum, adest similitudo inter Libertates, & Beneficia, & inter immunitatem à gravaminibus, & perceptionem fructuum, atque redituum Ecclesiasticorum; nullaque possit inter utramque considerari majoritas, vel identitas rationis: meritò concludendum est, Libertates, sive immunitates, vel franchitias Beneventanis in Regno concessas, atque parificationem *in omnibus, & per omnia, quæ Libertatis fuerint*, inter Beneventanos, & Regnicolas sancitam, ad Beneficiorum fruitionem non extendi.

Eo fortiùs quia ista Libertatum, seu immunitatum concessio, & parificatio, vel habetur ex Bullâ Investituræ, vel ex privilegijs à Regibus, & Principibus Beneventanæ Civitati indultis: quæ si con-

si considerentur, ut contractus, in quibus strictè proceditur, *leg. quidquid adstringendæ ff. de verbor. oblig.* non patiuntur extensionem, neque de tempore ad tempus, neque de personâ ad personam, neque de re ad rem, ut post *Soccin. jun. conf.* 102. *num.* 4. *lib.* 1., & *Cravett. conf.* 136. *num.* 7. docuerunt *Præs. de Franch. decis.* 113. *num.* 2. 3., & 4. *Regens Valenzuela conf.* 33. *num.* 273. *lib.* 1. *Conf. Pratus controv. forens. tom.* 1. *cap.* 7. *num.* 4. & 5. alijque ab ipsis allegati. Idemque dicendum erit, si considerentur, ut privilegia; quæ cùm sint pariter stricti juris, jusque singulare, & particulare contineant, ultra casus expressos non extenduntur, neque ampliationem admittunt, *leg. quod jure, ubi glossa, & leg. jus singulare ff. de legibus, cap. privilegium dist.* 3. *cap. Abbate extr. de verb. signif. cap. fin. de offic. Archid. cap. sanè, & cap. porrò, de privileg. leg. si quando Cod. de inoffic. testam. Reg. Valenzuela conf.* 18. *nu.* 54. *conf.* 23. *num.* 75. *conf.* 33. *num.* 268. *conf.* 97. *nu.* 140. *Conf. Pratus discep. forens. tom.* 1. *cap.* 20. *n.* 27. *in fin.*

Maximè si extensio cederet in alterius præjudicium: quo casu non solùm non est locus extensioni, sed sunt interpretanda quo minùs tertio noceant, cùm non soleant Principes cum alterius incommodo, damno, aut injuriâ quidquam concedere, aut permittere, *leg.* 2. §. *meritò*, & §. *si quis à Principe ff. ne quid in loco publico, leg. nec avus, cum cæteris concord. ff. de emancip. liberor., Bart. in leg. impuberi ff. de admin. tutor., Bald. in* §. *actionum num.* 14. *instit. de actionib., Glossa in leg. in fraudem, & ibi Bald. ff. de milit. testam., ubi allegat tex. in leg. cùm filiusfamilias* 29. *ff. eod. Conf. Pratus discept. forens. tom.* 1. *cap.* 33. *num.* 18., & *alii passim.*

Et proindè verba privilegii sunt potiùs impro-prianda, immò superflua, & otiosa reddenda, ne tertio præjudicium generetur, ut ex *tex.in cap.super eo, extr.de offic.deleg.*, *ubi Dec. in* 1.*limit.* dixit *Rovitus in pragm.* 1.*num.*13. *ubi de delicto quis debeat conveniri*. Undè cum Beneventanorum admissio ad nostra Ecclesiastica Beneficia, in Regnicolarum damnum, & præjudicium redundet, quia quod ipsis daretur, nobis auferretur, extensio de Libertatibus, sive immunitatibus ad Beneficia, in Beneventanorum utilitatem cum nostrâ pernicie non est facienda.

Quando ijdem Beneventani inter Gratias, quas de anno 1453.ab Alphonso Primo ab Aragonia, cui tunc temporis ipsi quoque parebant, humiliter petiere, ferventissimè supplicarunt, ut suas partes apud Summum Pontificem interponeret, ad effectum obtinendi, quod Beneventanæ Civitatis Ecclesiastica Beneficia civibus, prout de jure, inposterùm concederentur, nullâ de Regni Beneficiis factâ mentione, quemadmodum refert *Chioccarellus de Jurisdictione loco citato*. Ex quo duo deducuntur. Primum, quod si de nostris Beneficiis participare voluissent, dixissent, ut apertè docent jura in *cap. inter corporalia, post medium, extr. de transl. Episc.*, & *in cap. ad audientiam extr. de decimis, juncta gloss. in cap.fin.ver.hoc extendi extr. ne Cleric. vel Monachi*, & *in cap. ad audientiam ver. obventiones in fin. extr. de Eccles. ædific.*, cùm certum sit, ingenium, operam, atque facultatem hoc etiam petendi, Beneventanis non defuisse, si justum, & obtentu facile existimassent, ut ajebat *Cicero de inventione lib.*2., cujus verba transcribit *Tiraquell.in dictâ leg.si unquàm, ver.libertis nu.*3. & *seqq.*

& seqq. & propriè num. 16.*Cod. de revocand. donat.* Alterum, Beneventanos, ne quidèm circa Beneficia nobiscum communionem voluisse, dùm de suis tantùm laribus solicitudinem habuere.

Sed cur in re tàm clarâ diutiùs immoramur? quando attentis literis Invictissimi nostri Regis CAROLI III. sumus extra controversiam. Incipiunt enim eæ per illa verba, *Siendo mi principal fin en todo, el que se logre el mayor bien, y utilidad de mis vassallos*: quæ cùm sint apposita in proœmialibus, Regiæ dispositionis causam finalem designant, bonum, scilicet, & utilitatem subditorum, ut ex infinitis Juribus, & Doctoribus latè fundat *Reg. Valenzuela tom.* 2. *cons.* 119. *num.* 58. *& seqq. & propriè num.* 76. Quibus adstipulantur verba, in earundem literarum fine apposita, *Y quedo con particular cuydado, de que en adelante se evite este tan perjuicial abuso, obviando al encombeniente, de que los Beneficios, y rentas Ecclesiasticas las desfructen foresteros, sino que çedan en combeniençia de los hijos desse Reyno, por el paternal amor, con que los miro.* Quę verba non ad alienigenas, sed ad subditos adaptantur, quorum parens est Princeps, qui pater patriæ appellatur, *teste Seneca lib.* 1. *de Clementiâ cap.* 14.

Causa ergo finalis, ob quam Sua Majestas, de nostris Beneficiis Ecclesiasticis Regnicolas, non exteros, providendos fore, intendit, est suorum subditorum utilitas. Et per consequens ut quis possit nostra Beneficia obtinere, duabus debet qualitatibus copulativè muniri, *Regnicolæ*, scilicet, & *Subditi* Suæ Catholicæ Majestatis, quarum altera si deficiat, ad nostra Beneficia aspirare nequit, ex decisione *tex. in leg. si hæredi plures ff. de*

 con-

condit. & demonstrat., cum aliis vulgatis in *leg. si is, qui ducenta §. utrùm ff. de rebus dubiis, cap. inter cætera, extr. de rescriptis, Regens Valenzuela conf.* 113. *num.* 106., *& conf.* 123. *num.* 57. *lib.* 2., *Regens Galeota contr. illustr. lib.* 2. *controv.* 27. *num.* 15., ubi allegat *gloss. in leg. mancipia, ver. advocandum Cod. de servis fugitivis; & ex tex. in leg. si quis ita stipulatus ff. de verb. oblig.* idem tenet *Conf. Pratus discept. forens. tom.* 1. *cap.* 40. *n.* 42. Et proindè cum Beneventani, ut supra fundavimus, non sint, neque pro Regnicolis reputentur; & quatenùs, quod negatur, essent tales, non sunt subditi Invictissimi nostri Regis, ad nostra Beneficia, etiam ex mente Majestatis ejusdem, non sunt admittendi.

Hæc, licèt rudi stylo, & indocto calamo, exaranda putavimus, pro Rege, pro Veritate, pro Patriâ: sanioris, & cultioris Minervæ operam ad nostræ imbecillitatis subsidium, nostrorumque jurium tuitionem anxiè exoptantes.



CON-

CONTINUATIO
PRÆCEDENTIS CONSULTATIONIS,
In quâ probatur,

ILLUSTRISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM DOMINUM

AGNELLUM RENDINAM,

Electum, & consecratum Episcopum Bovianensem, hujus Regni Neapolis origine avitâ non juvari, ad hoc ut tanquàm Regnicola, ad ejusdem Episcopatus possessionem admitti possit.







Roviso de Episcopatu Civitatis Boviani Illust. & Rev. Dom. Agnello Rendinâ Beneventano, insurgit difficultas, an pro capiendâ Ecclesiæ prædictæ possessione, ei Regium Exequatur sit concedendum, attentis Literis Suæ Catholicæ Majestatis, quibus cavetur, Regnicolas, exclusis alienigenis, ad hujus Regni Beneficia Ecclesiastica admitti debere.

Ipse verò contendit esse admittendum, si non ut Beneventanus, saltèm ut Originarius Regnicola, sive oriundus, origine avitâ: cum licèt ipse, ejusque pater Aquinus nati sint Beneventi, Sylvius tamen ejus avus paternus fuit Civis Neapolitanus, Neapoli uxoratus. Unde discutiendum, quid juris?

Pro parte affirmativâ adducitur *textus in leg. libertus* §. *in adoptivâ familiâ ff. ad municipalem*, in quâ disponitur, nepotem ex filio adoptivo, pro muneribus civilibus suscipiendis, non solùm adoptantis, verùm etiam avi naturalis originem sequi. Ad quod similiter facit *textus in leg. assumptio* §. *filius in fin. ff. eod.*, ubi Ulpianus affirmat, non solùm libertinos sequi originem patronorum, sed etiam eos, qui ex his nascuntur: hoc est, filii libertinorum, qui respectu patroni sunt ad instar nepotum.

Glos-

Glossa tamen in *dictâ leg. assumptio*, §. *filius*, *ver. non domicilium*, & *in leg. filios Cod. de municip. & originar. lib. X.* docet oppositum: quempiam, scilicet, sequi originem paternam, non avitam; ne aliàs cogamur quærere agrum Damascenum, ubi primus omnium parens Adam creatus fuit. Et cum hac opinione transit *Dynus*, dicens, leges contrarias superiùs adductas, loqui in casu, quo Pater, & Avus essent ejusdem Civitatis, quia tunc meritò nepos sequitur originem avi. Quidquid autem sit de hac *Dyni* interpretatione, quæ *Bartolo in dictâ leg. assumptio* §. *filius* non placet, sibique videtur divinatio: non desunt Doctores, qui Glossam sequuntur, præsertim *Ursillus ad Afflictum decis.* 384. *num.* 9., & *Franciscus Salernus cons.* 2. §. 1. *num.* 5. *lib.* 1., ubi in terminis Alternativæ Regni Siciliæ ultra pharum, substinet, Siculos originarios, origine paternâ, non avitâ, in Alternativâ Beneficiorum Ecclesiasticorum ejusdem Regni comprehendi. *Et Regens Moles quæst.* 15. *decis.* 50. testatur, sic observari in Regiâ Camerâ Summariæ, ibique Privilegium Civilitatis Neapolitanæ nemini concedi, nisi sit natus in Civitate, vel patrem habuerit, qui in Civitate ortus sit: de quâ decisione mentionem faciunt *Reg. Rovitus decis.* 83. *num.* 2. *vol.* 1., & *Reg. Capyciuslatro consult.* 128. *num.* 16. & *seqq. lib.* 2. Idemque, quoad Ordines suscipiendos, ex *Covarruv. de sponsalibus par.* 2. *cap.* 7. §. 1. *num.* 15. tradunt *Aloysius Riccius in prax. fori Ecclesiast. resol.* 298. *aliàs* 257. *in secundâ editione*, & *par.* 4. *decis. Curiæ Archiepiscop. Neap. decis.* 317., *Ugolinus de Offic. Episcop. cap.* 26. §. 1. *post num.* 4. *verb. excipitur*, *Novar. in singul. can. concl.* 101. *num.* 9.,

Mar-

Marchin. de Sacram. Ordin. tract. 1. *par.* 5. *cap.*6. *num.*2.quos citat, & sequitur *Barbosa de Offic.*, *&* *potest.Episcopi par.*2.*alleg.*4.*num.*13., *& in Collectan.DD. in Concil. Tridentinum sess.* 23.*de reformatione cap.* 8. *num.* 19. Et per consequens præfatus Episcopus, secundùm dictæ Glossæ opinionem, non potest ex origine avi oriundus Regnicola reputari, ad effectum ut valeat de hujus Regni Beneficiis Ecclesiasticis provideri.

Esto tamen, quod sequamur primam opinionem Bovianensi Episcopo favorabilem, ipsum scilicet, ex avitâ Regni civilitate Regnicolam originarium ex supra allegatorum jurium dispositione censeri: adhuc nihilominùs constare debet, ortum fuisse vivẽte avo,& sub ejus potestate.Si enim natus fuisset avo mortuo, vel eo vivente, sed ex filio emancipato, neutiquam gaudere poterit avitâ civilitate. Ita docuit *Jacob. de Aret. in leg.* 2. *Cod. de jurisd.omn.judic.*, quem citat, & sequitur *Bart. in dictâ leg.assumptio* §.*filius ff.ad municipal. Joan. de Plateâ in leg.filios num.*2. *Cod.de municip. & originar.lib.X.*, *& ibi Lucas de Pennâ num.*1. *Cynus in dictâ leg.*2. *Cod.de Jurisd.omn.judic.* Sicque decisum per Rotam Romanam in unâ Legionensi Cappellaniæ sub die 8. Martii 1577., in quâ fuit resolutum,nepotem origine avitâ non frui, ad effectum obtinendi Cappellaniam in loco originis avi; non alio fundamento, nisi quia non erat natus in potestate avi, sub quâ in Regnis Castellæ non cadunt nepotes, quando nascuntur ex filio,ipso jure per contractum matrimonii in faciem Ecclesiæ à patriâ potestate liberato, ex dispositione *leg.*47.*Tauri*, *aliàs* 8.*tit.*1.*lib.*5.*recopil.*, ut videri

 po-

potest apud eandem *Rotam tom. 1. diversor. decis.* 359. de quâ *Cæsar. de Grassis decis. 5. qui filii sint legitimi*, *Hieronymus Gonsales in reg. 8. Cancellariæ glos. 9. §. 1. num. 98. & 99.*, *Boer. decis. 13. num. 7. & 8.*, *Joann. Laganar. in addit. ad Rovitum super Pragm. 1. de immunit. Neapol.* Nisi igitur idem Episcopus natus fuerit vivente avo, sub ejusque potestate, non poterit ex avitâ in Regno nativitate, ad effectum, de quo agitur, originarius Regnicola reputari.

Neque hoc sufficit nepoti ad avitæ civilitatis fruitionem. Requiritur etiam, quod avus originem loci propriæ nativitatis retineat, tempore quo ei nascitur nepos, ut illam possit communicare nepoti. Unde si avus Episcopi Bovianensis non retinebat originem hujus Regni, in quo, ut supponitur, ortus erat, quia illam perdiderat, renunciaverat, vel per domicilii alibi translationem, tempore natalium ejusdem Episcopi, jam deserverat, non potuit eam transfundere in Episcopum nepotem. Nemo enim dat, quod non habet, *cap. quando dist. 4.*, *leg. nemo plus juris 55. ff. de regulis juris*, *cum concordantibus*.

In quo advertendum est, quod licèt sit controversum inter Doctores, quos hinc, & inde expendit *Cons. Carleval. de judiciis lib. 1. tit. 1. disp. 2. quæst. 2. num. 120. & seqq.* utrùm origo amitti possit, atque originarius effici alienigena? & quod licèt nonnulli ajunt, inter quos idem *Carlevalius*, originem esse immutabilem, sicut jura naturalia, quæ sunt immutabilia §. *sed naturalia Instit. de Jure natural. gent. & civili*, ita ut neque errore veritas originis amittatur: nec mendacio dicentis, se

esse

esse unde non est, deponatur: neque recusando quis patriam, ex quâ oriundus est: neque mentiendo de eâ, quam non habet, veritatem mutare possit: (sunt verba Ulpiani in citatâ *leg. assumptio ff. ad municipalem*, cui adhæret Imperator Diocletianus in *leg. 4. Cod. de municip. & originar. lib. 10.*, in quâ sancitum reliquit, origine propriâ neminem posse voluntate suâ eximi.) Licèt, inquam, aliqui sic arbitrentur, alii tamen autumant, originem amitti posse: non quod quisquam valeat efficere, quod qui natus est in uno loco, non sit natus ibidē, quia verba, nostrumque affirmare, vel negare non mutant veritatem nativitatis, juxta doctrinam *glossæ in leg. 2. ver. mendacium Cod. de incolis lib. 10.* in quo sensu, ex juribus superiùs allegatis, origo dicitur immutabilis: sed quod unusquisque possit amittere commodum, & effectus originis, vel in pœnam delicti, vel illis renunciando, aliisque modis in jure expressis, prout ingenuè fatetur idem *Cons. Carleval. ibidem num. 131. & seqq.* Unde natus Neapoli dicetur de Neapoli, sed non Civis Neapolitanus, si perdidit, renunciavit, vel deseruit Civitatem, ut benè explicat *Afflict. loco cit.*

Hoc posito, subintrat disputatio, an, scilicet, translatio domicilii extra locum, & multò fortiùs extra Regnum, vel Provinciam originis, sit unus ex illis modis, quibus origo deseritur, ejusque commodum, & effectus amittuntur? *Cæphal. cons. 451. lib. 2., & Decianus resp. 44. vol. 4.* ex unâ parte, asserunt non amitti. Ex aliâ verò parte *Rolandus à Valle cons. 79. vol. 3., & Surdus cons. 313. lib. 3.* ajunt, quód per domicilii translationem origo di-

 catur

catur deserta, ejusque commodum amissum: moti auctoritate *glossæ in leg. in adoptionem*, *ver. non mutatur*, *Cod. de adoptionibus*, quam allegat, & sequitur *Bald. in Auth. sed omninò num. 35. Cod. ne uxor pro marito*; sicque ubique, & præsertìm in Germaniâ de consuetudine servari, testatur *Gaillus practicar. observ. lib. 2. observ. 36.* Idemque tenet *Afflictus in citatâ decis. 384.* ubi ex *Jacob. Butr. in leg. 1. Cod. qui pro suâ jurisdict.*, *& Bald. in leg. 1. ff. de Senator.*, *& in leg. quanquam Cod. de senten. quæ sine certâ quantit.* affirmat, Glossæ auctoritatem quibuscumque aliis præferendam, ejusque opinionem tenendam in rebus magis dubiis, nec ab eâ recedendum in judicando.

Benè tamen verum est, quod non quælibet habitatio extra locum, aut Regnum, vel Provinciam originis, inducit illius desertionem, ac translationem domicilii: sed illa, quæ fit cum domo, & familiâ per longi temporis cursum, spatio saltèm decem annorum, *leg. 2. Cod. de incolis lib. 10.*, *Bald. conf. 311. vol. 4. nu. 6.*, *Surdus dicto conf. 313. nu. 51. & 70. lib. 3.*, tunc enim quis dicitur in loco novæ habitationis sibi sedes, desertâ origine, constituisse: præsertìm si in loco originis de muneribus, & oneribus non participet, quia deficit in eo, quod est primum, & maximum fundamentum civilitatis, ut dicit *Baldus in leg. si non speciali Cod. de testamentis*, cùm propriè civis non dicatur, nec civium privilegiis gaudere debeat, qui non substinet onera Civitatis, *Rolandus à Valle dicto conf. 79. n. 29.*, aliàs sentiret commodum, qui non sentit incommodum, contra regulam textus in *leg. secundùm*

dùm naturam ff. de regulis juris.

Hæc omnia fuerunt plenè discussa, sed non decisa in causâ, de quâ per *Afflictum in citatâ decis.* 384., quia Domini Judicantes fuerunt in paritate votorum. Rota verò Romana secundùm hic allegata pronunciavit, in unâ Legionensi Cappellaniæ sub die 23. Martii 1576., de quâ *tom.* 1. *divers.decis.*327., *& apud Cæsarem de Grassis decis.* 15.*de probationibus*, ubi solemniter decisum fuit, filium conceptum, ac natum, postquam pater, desertâ Provinciâ, vel loco originis, alibi transtulit domicilium, non posse dici originarium, vel naturalem loci à patre priùs deserti: maximè quando filius ortus fuit in loco novi domicilii paterni, ibique sibi domicilium constituerit.

Quod si hoc in desertione loci originis paternæ, quantò magis idem dicendum in desertione loci originis avitæ, quæ paternâ est debilior, ab eâque vincitur, & superatur, ex textu in *leg. privilegio Cod. de decurionibus lib.* 10. Et proindè quemadmodum filius natus, postquam pater, desertâ Provinciâ, vel loco originis, alibi sibi domicilium acquisivit, non potest dici originarius loci à patre deserti: ita etiam nepos natus, postquam avus, desertâ Provinciâ, vel loco suæ originis, aliò se transtulit cum domo, & familiâ, non poterit dici originarius loci, jàm ante suam nativitatem derelicti ab avo: eò magis si nepos natus esset in loco novi domicilii aviti, prout in terminis loquitur prædicta decisio Rotæ Romanæ.

Præterquamquod, si credamus *Mascardo de probationibus vol.3.conclus.*1146.*num.*10. etiam si avus suæ nativitatis originem retinuisset, & perso-

na

na media, veluti, pater, per quam fieri debet transmissio civilitatis in nepotem, effecta esset per ejusdem originis desertionem inhabilis ad transmittendum, neque avi civilitas proderit in hoc casu nepoti, quia medium inhabile impedit transitum fieri ad extrema, ex dispositione textus in *leg. qui sella 7.§. ult.*, *& in leg. tria prædia ff. de servit. rusticor. præd. leg. servitutes prædiorum 14. in fin. ff. de servitutibus.*

Cùm igitur Sylvius Rendina, avus præfati Agnelli Episcopi Bovianensis, desertâ Regni origine, suum Beneventi cum domo, & familiâ domicilium constituisset, ibidemque illud sui successores continuassent: quod patet, quia Beneventi procreavit Aquinum filium, à quo similiter Beneventi ortus est prædictus Agnellus nepos: eruitur evidenter, quod tempore nativitatis Aquini filii, & Agnelli nepotis, non retinebat originem hujus Regni, eamque per consequens non potuit transfundere, neque in Aquinum filium, neque in Agnellum nepotem.

Hæc de Jure communi. Etenim est absolutum in Regno, nepotes non juvari avitâ naturalitate, ad finem obtinendi Officia, vel Beneficia Ecclesiastica, ad Regnicolas spectantia. Decreto nàmque immortalis memoriæ Philippi Secundi Hispaniarum Monarchæ declaratum fuit, nomine oriundorum solummodò comprehendi ortos in Regno, ac etiam alienigenas, qui patrem in Regno ortum habuerint: nec non Feudatarios Feuda cum jurisdictione possidentes: ac denique exteros, qui per decennium continuum in Regno habitaverint cum uxoribus, ibique bona stabilia possi-

possident. Præter hos, nemo potest ad Officia, vel Beneficia Regnicolis destinata admitti, ut patet ex *Cap.* 1. Gratiarum ab eâdem Catholicâ Majestate huic Regno concessarum Matriti die 10. mensis Octobris 1561. in Volumine Capitulorum, & Gratiarum hujus fidelissimæ Civitatis *fol.* 165. *àter.* Cùmque in personâ præfati Episcopi nulla ex memoratis qualitatibus concurrat, vel saltèm usque adhuc sit in probatis, non potest Regnicola reputari, ad effectum obtinendi Regium Exequatur, pro Ecclesiæ prædictæ possessione capiendâ.

Hinc agnoscens supra nominatus Episcopus, se scopulis undique circumcingi, ipsumque tanquam Beneventanum alienigenam dijudicari, ac per consequens à nostris Beneficiis excludi, quemadmodum Avenionenses ad Regni Franciæ Officia, & Beneficia absque literis naturalitatis non admittuntur, quia exteri reputantur, teste *Rebuff. in tract. de literis naturalitatis gloss.* 2. *nu.* 21. Quodque uti originarius, origine avitâ, tot nanciscebatur difficultates, tàm validis rationum fundamentis innixas, suam causam urnæ discrimini neutiquam committendam putavit. Sed saniori consilio alia cumulando ad Regium Exequatur obtinendum aptiora, exposuit Excellentissimis hujus fidelissimæ Civitatis Electis, Sylvium Rendinam ejus avum paternum fuisse Neapolitanum, in hac eâdem Civitate uxoratum; ejùsque filium Aquinum præfati Episcopi patrem, licèt Beneventi ortum, plùs quàm quindecim annorum spatio cum domo, & familiâ Neapoli habitasse in propriis domibus, sitis in plateâ Cangianorum districtus Paræciæ S. Mariæ de Scalâ: immò ipsum-

summet Episcopum per duodecim circiter annos similiter Neapoli domiciliũ habuisse in aliâ domo pariter propriâ, sitâ in loco dicto ad Pirotiũ, ubi ad præsens commoratur ejus nepos D. Xaverius, Advocati munere in Regiis Tribunalibus fungens. Hisque per testes probatis, cùm de possessione prædictæ domus ad Pirotium sitæ, per Antonii Jaccarini locationis chirographum docuisset, obtinuit ab eisdem Excellentissimis Electis Privilegium, ut dicunt, seu Literas Patentes Civilitatis Neapolitanæ, quarum vigore petiit Regium Exequatur; & assèquutus est, mediante Rescripto Suæ Catholicæ Majestatis, sub die septimâ Octobris 1710. ad ejusdem Episcopi beneficium expediti, prævià de omnibus superiùs allegatis, plenèque discussis relatione, per bon. mem. Eminentissimum Dominum S. R. E. Cardinalem Vincentium Grimani hujus tunc Regni Proregem, eidem Catholicæ Majestati factâ, cum voto Regii Collateralis Consilii, tenoris, qui sequitur.

Copia, &c.

HAviendo eleĉto, y consagrado Su Santidad à D. Anielo Rendina Patriçio Benaventano por Obispo de Boyano, y haviendo este supplicado se le conçeda el Regio Exequatur, para superar la dificultad, que ha encontrado en las Reales Ordenes, con las quales si bien Su Mageslad (Dios le guarde) haya restituydo al Virrey del Reyno, y Consejo Colateral la facultad de dar el Exequatur alas colaçio-

laçiones, que se hiçieren de Obispos, y otros Beneficios, que anteçedentemente se havia reservado, assi à respecto de Naturales deste Reyno, y Subditos del Rey Nuestro Señor, preçedente examen de ser fieles, y leales Vassallos: ha presentado el dicho Prelado diferentes escripturas en este Consejo, por las quales ha hecho constar, ser Oriundo, ò Originario de Napoles, por ser nieto de Silvio Rendina, y de Angela de Aviñano, ambos Ciudadanos Napolitanos.

Que Silvio Rendina Junior, su hermano carnal doctorado en Napoles, el año 1699. fue electo Avogado extraordinario de esta fidelissima Ciudad, y exercitò la Judicatura de primeras, y segundas causas en los Estados de muchos Barones del Reyno.

Et relatis aliquibus, quæ ad conjunctorum Episcopi servitia spectant, subsequitur.

Que su sobrino D. Saverio, hijo de Silvio su hermano, està presentemente sirviendo de Avogado extraordinario à esta fidelissima Ciudad.

Aliisque iterum interjectis, quæ ejusdem Episcopi, suorumque erga Augustissimam Domum Austriacam fidelitatem, & obsequia respiciunt, subditur.

Y con todo que en favor del dicho Obispo se haya considerado por este Consejo, que en la Embistidura, que concediò el Papa Clemente IV. al Rey Carlos I. de Angiò, de la qual, por aquello, que toca à este punto, se han regulado las Embistiduras subsiguientes, aun de los Reyes Aragoneses, expressa, que los Benaventanos se reputen como Naturales del Reyno, en quanto à las libertades: *que por*

la mas comun auctoridad de Doctores, la Civilidad del Abuelo se transfunda en el Nieto, por la qual el dicho D. Anielo descendiendo del Abuelo Napolitano, puede deçirse Originario, ò Oriundo desta Ciudad: y el Origen no sola Paterna, sino tambien de Abuelos se atienda particularmente por los honores; y por tal razon puede pretenderse, que no solo concurra en el la calidad de Natural, sino tambien de Subdito, motiva en la ultima Cedula de Su Mageſtad, no pudiendo dudarse, que en el lugar del Origen recayga el fuero, y en las Causas Civiles, y Criminales todo lo que sea en concurso del mismo, y del fuero de domiçilio, ò del delicto, qual prevalga de estos; y siendo maxima assentadisima, que si alguno falta ala fidelidad azia el Señor del lugar, donde trahe el Origen, incurre en delicto de felonia, y de lesa Mageſtad, y aun por las leyes de las partidas haviendo guerra entre el Soberano del lugar del Origen, y el del lugar del Domiçilio, el Originario està obligado à seguir la parte del primero, y no del segundo, con todo que debaxo de su dominio se halle haver transferido su Domiçilio, y en los Privilegios, y Capitulos conçedidos alos Reynos de Siçilia, y de Napoles sobre el deverse conferir los Ofiçios, y Beneficios de ellos à Ciudadanos, y Regnicolos, no solo se tiene razon de los innatos en el, sino tambien de los Oriundos, y por estas reflexiones, y tambien por tener el dicho Prelado ropa, y parientes en el Reyno, algunos de los quales estan en actual serviçio de Su Mageſtad, y por haver obtenido ultimamente de esta fidelisima Ciudad Privilegio, con el qual lo han numerado entre sus Ciudadanos, y por las otras

cir-

circunstançias expresadas de haver mostrado todo el obsequio, y toda la veneraçion azia las ordenes del Rey Nuestro Señor, procurando de justificar las calidades, que se requieren en ellos: Y porque Auctores gravissimos han escripto, que quando se tracte de leyes, ò statutos, que excluyen los forasteros de qualquier dignidad, honor, ò prerogativa, a los quales admiten los Naturales solamente, deva seguirles siempre la interpetraçion mas benigna, y benefica, sea el dicho Prelado digno de toda equitad, y de la graçia de Su Magestad: con todo esso, porque tocante el Origen, que se alega del Obispo, entra el examen, y la discusion de muchos puntos, y son: Si esta se transmita en el Nieto, quando no es conçevido en vida del Abuelo, ò naçido debajo de su potestad: Y bien que este segundo requisito por la mas verdadera; y aprovada sentençia no sea neçesario, pareçe, que lo sea el primero por la translaçion del Domiçilio à otra parte, se pierdan los benefiçios del Origen; de lo que si bien se hubiese dudado en tiempo de Afflicto, prevaleçio despues la opinion dela immutabilidad del Origen; la qual bien si se puede disputar, si haya lugar, quando se transfiere el Domiçilio debaxo de otro Principe: Y por lo que toca alas Embistiduras, quando la clausula expresada en ellas, y nombrada fuese propria del caso, rendiria al Benaventano Ciudadano por privilegio, y por convençion; lo que quando quisiese suponer, que fuese sufiçiente, tambien faltaria al dicho Prelado la calidad de Subdito desseada en el ultimo Real Despacho, para poner de parte, si Benavēte haya sido comprehendido en el Reyno de Napoles, ò haya

 esta-

estado siempre distincto, y separado de el; Y porque en las materias Ecclesiasticas, y de Beneficios, el Jus Canonico tiene resguardo solo al Origen paterna, no alos Abuelos, que considerada del Jus Civil, porque los Ecclesiasticos, aun lo que se haga por particulares motivos, suelen alegarlo por exemplo, y para condescenderse à alguna cosa, se ha experimentado, que creçen siempre mas sus pretensiones, y quando se tracta de Beneficios, y Dignidades Ecclesiasticas, el derecho de aquellos, que son verdaderamente Ciudadanos, fundado en las Constituçiones Canonicas, en los Conçilios, y en las Leyes Divinas, y humanas, y en razones indubitadas, pareçe, que deva proponderar à lo que aquellos pretenden ser tales por finçiones legales, ò por Privilegio. Y ocurriendo duda, ò dificultad en las Constituçiones, ò Rescriptos del Prinçipe, toca al mismo declararlas, ò interpetrarlas, se ha juzgado ponerlo todo en la notiçia de Su Eminençia, paraque lo passe ala de Su Magestad, à fin que con su soberana comprehension resuelva, y determine, como deva el Colateral contenerse, quien sin dar sobre esto otro passo, espera sus Reales Ordenes. Dios guarde à V. S. Palaçio à 8. de Julio 1710.

El Marques de Sancto Lauro.

Señor Secretario D. Antonio Diaz, y Guemes.

Copia,

Copia, &c.

Certifico Yo D. Ignaçio Torronteros, Criado de Su Mageſtad, y Oficial Mayor de ſu Secretaria de eſte Reyno de Napoles, que en el Colateral de primero del corriente mes de Diziembre ſe vido un Real Deſpacho de 7. de Octubre de eſte dicho año, reſponſivo ala repreſentaçion, que hizo à Su Mageſtad (Dios le guarde) el Señor Cardenal Grimani, Virrey que fue de eſte Reyno, con Carta de 11. de Agoſto antecediente, incluyendo un apuntamiento de eſte Conſejo ſobre la inſtançia, que hizo D. Anielo Rendina, para tomar la poſeſion del Obiſpado de Boyano, que Su Santidad le ha conferido; Previniendo Su Mageſtad, que atendiendo alos motivos contenidos en dicho apuntamiento, ha venido en que ſin mas dilaçion ſe dè el Exequatur al mençionado Obiſpo. Y pareçio al Colateral, que ſe executaſe, y regiſtraſe. De cuyo acuerdo ſe dio quenta al Señor Conde Borromeo Virrey, y Capitan General en Interim de eſte Reyno, à que ſe conformò, y en ſu virtud ſe dieron las Ordenes para ſu cumplimiento en 4. de eſte dicho mes. Y en fee de ello, doy la preſente firmada de mi mano, y ſellada con el Sello Real de Ofiçio de eſta Secretaria. Napoles à 22. de Diziembre 1710.

D. Ignaçio Torronteros.



INDEX

Rerum Notabilium.

A

B

Be-

Ci-

D

E

F

G

Ha-

H

I

L

N

Ori-

O

P

R

